DE REBUS DIVI AUGUSTI AUSPICIIS IN GERMANIA GESTIS QUAESTIONES SELECTAE.

SCRIPSIT

CAROLUS WINKELSESSER

DETMOLDENSIS.

DETMOLDIAE 1901.

FORMIS MEYERI (NEUMANN-HOFER).

DE REBUS DIVI AUGUSTI AUSPICIIS IN GERMANIA GESTIS QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHPRUM ORDINI

ACADEMIAE FRIDERICIAE GUILELMIAE RHENANAE

PROPOSUIT

ET

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXII. MENSIS JUNII H. XII. A. MCMI

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS WINKELSESSER

DETMOLDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. KNOTTE CAND. PHIL.

H. SCHMIDT CAND. PHIL.

K. HUBERT CAND. PHIL.

DETMOLDIAE

FORMIS MEYERI (NEUMANN-HOFER).

Caput I.

Quo anno Ubii in citeriorem Rheni ripam transgressi sint.

Vulgo fere statuunt Ubios ab Agrippa in citeriorem Rheni ripam traductos esse eodem anno, quo ille Dione auctore,[1]) primus post Caesarem Romanorum dux, cum exercitu Rhenum transiit: nam ita res conectunt, utpote qui Agrippam eo consilio et ea de causa hanc expeditionem fecisse censeant, ut Ubios transferret. Quae opinio de transitu Ubiorum vix accipienda esse videtur, quia multa et gravissima ei obstant.

Tacitus et Strabo, quibus memoria de ea re debetur, quo quidem anno Ubii Rhenum flumen transgressi sint, in incerto relinquunt, sed nil exhibent nisi Agrippam eis novas sedes in Gallia assignasse. Cum vero Agrippam bis Galliae praefuisse constet, anno 38 a. Chr. n. et 19 a. Chr.[2]) n, de his annis optio data est atque, uter maxime placeat et conveniat, enucleandum est. De qua quaestione satis liquidum iudicium explorari nequit nisi subtili et accurata testimoniorum interpretatione. Itaque hoc nunc nobis curae est.

Ji, quibus Ubiorum transitus cohaerere videtur cum illa expeditione, quam Agrippa anno 38 a. Chr. n. suscepit, eum

[1]) Dio XLVIII, 49, 2.

[2]) Dio LIV, 11, 1,

ipsum traducendi auctorem fuisse ponunt. Quae sententia ad Strabonis testimonium redit, ubi his ipsis verbis Ubios transtulisse refertur: IV, p. 194. „*Τρηούιροι, καθ' οὓς πεποίηται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνὶ τῶν στρατηγούντων τὸν Γερμανικον πόλεμον. Πέραν δὲ ὤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τον τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου.*“ Sed Strabo an memoriam sinceram et integram conservaverit, admodum dubium est. Certe secundum Tacitum res longe aliter peracta esse videtur. Nam velis inspicere haec testimonia Taciti: Germ. c. 28. „Ne Ubii quidem origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.“ Annal. XII, 27. „Ac forte acciderat, ut eam gentem (sc. Ubios) Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.“ Agrippa ipse Ubios traduxisse ubi dicitur? Contrarium maxime defendi potest: Ubii ultro ac sua sponte Rhenum transierunt neque a Romanis traducti sunt; quod haud dubie apud Tacitum significatur. Gravissimi momenti mihi esse videtur, quod bis posuit vocabulum „transgredi“. Quamquam sunt, qui Tacitum rectius vocem „traducere“ usurpasse sentiant: sed eorum iudicium ea re refutatur, quod altero loco addidit „ac forte acciderat“; quo additamento Agrippam Ubiis, cum sedibus relictis fines imperii transgrederentur, operam non navasse, sed casu quodam nec consulto ea re implicatum esse, postquam illi iam in Galliam confugerunt, dilucidissime probatur. Qua explicatione omnia plana et perspicua fiunt: Ubii enim ultro nec Romanis adiuvantibus aut arma interponentibus e patria discesserunt, cum popularium impetus sustinere non possent, Agrippa autem nihil amplius quam Ubios Rheno transgressos in fidem recepit et in proximis Rheno agris collocavit. Eo sensu percipienda esse existimo, quae Tacitus de ea re memoriae prodidit.

Quid igitur de illo loco Strabonis iudicamus? Rem si spectamus, scribens „*μετήγαγεν Ἀγρίππας*“ Agrippae vindicavit,

quod ei secundum Tacitum non vindicandum est. Nec tamen aliud testimonium Strabonem secutum esse credideris. Videtur enim illas res, quae quidem factum constituunt et artissime inter se coniunctae sunt, sed quarum alteri utri interfuit Agrippa, brevitatis studio una comprehendisse. Ideo causam, cur a Tacito discrepet, a dicendi genere repetimus: certe rem non tam distincte et accurate expressit quam ille. Clarius atque aptius idem significari reperio in proximis: nam quod ibi commemoravit „*οἱ Σόηβοι προσαγορευόμενοι Γερμανοί. .*, *ὑφ᾽ ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί*,“ maxime de Ubiis cogitavit. Neque etiam neglegendum est, quod apposuit „*νυνί*“: nam hoc „*νυνί*“ e mente illius auctoris intellegendum est, a quo Strabo memoriam de bellis Germanicis Augusti ac de geographia Germaniae relatam accepit quique ipse in Germania stipendia fecit; ex quo non ita multo antė Drusi et Tiberii tempus illud factum esse apparet. Nil igitur obstat, quominus eandem traditionem, quam Tacitus secutus est, Straboni quoque non alienam fuisse putemus, quamquam fides eius dubia est. Quomodo res quidem peracta sit, nunc non ambigitur.

Quibus positis opinio eorum, qui Agrippam cum exercitu Ubiorum gentem Rhenum traduxisse statuunt, improbanda est. Neque igitur ratio satis constat, siquidem transitus eorum cum expeditione Agrippae anno a. Chr. n. 38 suscepta coniunctus fuisse existimatur. Immo vero ad rem intellegendam sufficit sumere Agrippam, quo tempore Ubii eius auxilium imploraverunt, in Gallia versatum et in Germania seditiones ortas esse, quibus illi emigrare coacti sunt. Quae condicio rerum optime in annum 19 a. Chr. n. convenit: eo enim anno Agrippam Galliam, cui praefuit, et Germanorum incursionibus et domesticis discordiis vexatam pacavisse et composuisse Dio tradidit;[3]) neque autem

---

[3]) LIV, 11, 1 „*ἔν τε γὰρ ἀλλήλοις ἐστασίαζον* (sc. *αἱ Γαλατίαι*) *καὶ ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐκακοῦντο.*“

eum tum Rhenum transiisse aut rebus Germanorum, qui trans flumen consederunt, se immiscuisse acceptum habemus. Itaque eo anno Ubios transitum fecisse arbitror.

Sed nunc ex universa rerum gestarum memoria ea argumenta congeramus, quae nostro de tempore iudicio subsidio et adiumento sunt. Primum haec monenda habeo: Inde a Caesaris aetate Germani Romanis infestissimi continuo incursiones in Galliam fecerunt, quae plerumque Gallorum cum rebellionibus coniunctae fuerunt. Quo magis autem Romanorum potentia imperiumque ibi corroborata et confirmata est, eo magis etiam Germanorum odium et inimicitia increvit atque incursiones increbuerunt: quod maxime factum esse videmus, ex quo anno a. Chr. n. 27.[4]) administratio Galliae denuo ordinata est. Nam appropinquare periculum, ne ipsi quando a Romanis subigerentur, Germani senserunt. Quin etiam ne vitae quidem Romanorum pepercerunt. Ut exempla afferam: Bellum anno a. Chr. n. 25 a. M. Vinicio cum Germanorum gentibus quibusdam gestum inde originem traxisse traditur, quod antea Romani negotiatores ab illis interfecti erant.[5]) Anno a. Chr. n. 17 Sigambri eorumque socii caede Romanorum facta bellum adversus M. Lollium legatum commoverunt.[6]) Huic conexui rerum, quem adumbravimus, etiam

---

[4]) Dio LIII 12, 5; 22, 5. Liv. epit. CXXXIV (cf. etiam Strabonem IV p. 177). Mommseni coniectura, qui in Hermae volumine XI p. 111. (assentitur Gardthausen hist. Augusti I, 2 p. 665) illud assignandum esse statuit ei tempori, quod inter annos 16 et 13 a. Chr. n. interiectum est, cum Tiberius tres Gallias rexit, mihi parum solidis argumentis niti videtur quam ut accipi possit. Testimonio quidem Suetonii (Tiber. 9), quo maxime argumento usus est, nil probatur: nam cogitari etiam potest Suetonium ibi scribentem „Comatam Galliam“ brevitatis causa generale nomen usurpasse neglecto, quomodo vere administratio Galliae ordinata fuerit. Ac profecto Augusto dumtaxat imperante illae tres partes Galliae coniunctim nec separatim administratae esse videntur.

[5]) Dio LIII 26, 4.

[6]) Dio LIV 19; 20. Flor. II, 30, 24. (vide infra p. 13 e. s.)

Ubiorum transitus aptissime inseritur: nam inde a Caesaris temporibus Ubii, qui semper Romanis faverunt, a finitimis populis vi belloque vexati erant ac vix semet ipsi tutari potuerant. Res vero cum ita essent ceterique Germani Romanis tam infestos se praeberent, eos in patria se non iam tutos esse sensisse facile intellegitur; quam ob rem in fidem ac tutelam populi Romani ut novas sedes impetrarent confugerunt.

Quodsi Agrippa Ubios custodes Rheni fluminis esse voluit, id universae rei gerendae rationis nos commonefacit, quam Romani et maxime Agrippa illa aetate in Gallia secuti sunt. Perinde enim ut Romanorum imperium ibi stabilitum est, ita etiam confiniis firmandis operam dederunt. Quamquam singula satis obscura sunt; sed ea, quae cognoscuntur et explorantur, breviter attingam. Agrippam per Galliam tamquam rete viarum et itinerum contexuisse Strabo auctor est.[7]) Quod opus cum commercii tum maxime militarium rerum usui fuit: via quidem ad Rhenum eo consilio munita est, ut castella Romanorum militum ibi posita melius et artius cum urbibus Galliae et Italiae conecterentur et colligarentur. De tempore etsi Strabo nihil exhibuit, non secus ac hoc loco, ubi de Ubiis sermo fit, tamen illud factum esse anno 19, quo Agrippa res Gallorum ordinavit, me quidem iudice iure statuitur:[8]) Neque enim prius Romani id opus inchoavisse videntur, quam Salassis anno a. Chr. n. 25 subactis eae viae, quae ex Gallia Cisalpina per Alpes in Galliam Transalpinam ferebant, artificiose exaedificari coeptae sunt. Quo accedit alterum argumentum: Illae viae a Lugduno, quae urbs fuit caput Galliarum, tamquam radiis similes per unamquamque earum partium terrae munitae sunt, quae anno 27 a. Chr. n. administratione commutata peculiares provinciae factae sunt. Quod si reputamus, illud his institutis accommodatum

---

7) IV, p. 208.

8) cf. Gardthauseni historiam Augusti I, 2 p. 715 e. s.

9) cf. Nisseni „Italische Landeskunde“ I p. 78. 158 seq. Gardthauseni hist. Aug. I, 2, p. 715 e. s. Mommseni hist. Rom. V, p. 17 e. s.

et postea consecutum esse facile coniectamus rati Romanos rebus provinciae magis consuluisse. Tum iterum de anno 19 cogitandum est. Ita res fortasse componendae sunt. Haec obiter adnotavi, ut illam opinionem probarem. — Sed redeamus ad eam rem, quam explicaturi eramus. Ubii cum Rheni custodiam, quam Agrippa eis tradidit, sine militum subsidio agere non possent, his locis validiora castella Romanorum vel iam fuisse vel simul collacata esse pro certo habetur; nec, quod Agrippa viam ad Rhenum fecit, intelligitur nisi idem ponitur. Multi castra Mogontiaci ad eum originem referre iudicarunt.[10]) Certe iam ante Drusum imperatorem castra stativa legionis (sola hac aetate legio quinta certo invenitur, quae clade Lolliana aquilam amisit)[11]) prope Rhenum fuerunt: cum vero Castra Vetera probabiliter a Druso posita sint et Castra Coloniae non ante annum 14 p. Chr. n. commemorentur, sola castra Mogontiaci in censum veniunt; quae siquidem vere ab Agrippa communita sunt, id anno 19 a. Chr. n. fuisse videtur. Sed hoc satis. Quae argumenta protuli, ea ad meam sententiam confirmandam sufficiunt.

Itaque hoc statuo: Ubiorum transitus anno 19 a. Chr. n. factus esse maiore cum fide et probabilitate existimatur; quod minime impedit, quominus Agrippam anno 38 a. Chr. n. Rhenum transgressum Ubiorum rebus consuluisse cogitemus. Placet igitur redire ad veterem Gelenii, Agrippinensis illius scriptoris, opinionem nuper a Nisseno resuscitatam,[12]) quamquam ea argumenta, quibus ille usus est, nobis non probantur.

---

[10]) cf. Bergkium „Westdeutsche Zeitschrift“ 1 p. 498. e. s.

[11]) Vell. II, 97. Postea Castris Veteribus hibernavit Tac. Ann. 1, 31; 45.

[12]) In annalibus Bonnae editis vol. CIV p. 28 e. s. (1899).

Caput II.

Quo anno clades Lolliana facta sit.

Vulgo fere adhuc clades Lolliana, quam Suetonius[1]) maioris infamiae quam detrimenti fuisse dixit, ad annum 16 a. Chr. n. refertur [2]) Quae opinio cum veterum auctorum memoria et traditione non consentit. Julius Obsequens lib. Prodig. c. 71 cladem ad annum 17 exhibuit: „Gaio Furnio Gaio Silano consulibus (qui fuerunt consules anni 17) . . . . insidiis Germanorum Romani circumventi sub M. Lollio legato graviter vexati.“ Ouod testimonium summa fide dignum est, quia ad auctoritatem Livii, cuius vita rebus illis proxima fuit, redit. Dio, gravissimus illius aetatis testis, narrationem quidem cladis anno 16 a. Chr. n. subiunxit;[3]) sed mirum esset, si aliter atque Obsequens tradidisset, praesertim cum uterque Livium secutus sit. Ac profecto inter Dionem et Obsequentem non discrepare videtur. Quod certis argumentis probare mihi in proposito est.

Quamquam Dio historias in annalium formam redegit, tamen eum non raro huius ordinis negligentem res complurium annorum comprehendere eaque, quae prius narrari debuerunt, postea demum repetere, ne conexum divellat, observamus; tum vero res plerumque ad eum annum referuntur, quo exitum capiunt. Quo scribendi modo temporum ratio facile obscuratur, cum maxime singuli anni non discernuntur nec tempus accuratius significatur. Ut id quod dixi, illustrem, moneo haec exempla: De bello a. C. Petronio, Aegypti praefecto, cum Aethiopibus gesto Dio ad annum 22 a.

---

1) Suet. Aug. c. 23.

2) Praeter Riesium, qui in libro „Das rheinische Germanien in der antiken Litteratur“ recte annum adnotavit, unus, quod equidem sciam, Asbachius (Annal. Bonnens. vol. 85 p. 15 adn. 1) hanc sententiam improbavit, quamquam iudicio mihi alieno usus est.

3) LIV, 19; 20.

Chr. n. retulit,[4]) quo confectum est, quamquam iam nonnullis annis ante initium ceperat; ad annum 6 p. Chr. n. omnia commemoravit, quae inde ab anno 1 a. Chr. n. usque ad id tempus in Germania gesta sunt.[5])

Idem in hunc quoque locum cadit, ubi Dio de clade Lolliana loquitur: neque enim solum res anni 16, sed etiam priorum annorum hic tractavit. Quod ipsis auctoris verbis haud obscure significatur. Nam initio capitis 20 scribit: „*πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους*[6]) *ἐταράχθη*“. Proinde cave, ne credas orationem non versari nisi in referendis eis rebus, quae anno 16 gestae sunt.[7]) Simili sensu conceptum infra, ubi ad res Germanicas transit, „*τότε*“ posuit („*ὁ δὲ δὴ μέγιστος τῶν τότε συμβάντων τοῖς Ῥωμαίοις πολέμων*“), qua voce usus annum in incerto reliquit. Deinde res traditae si respiciuntur id, quod statuimus, iis probatur, quae Dio de bellis in Thracia gestis perhibuit:[8]) ubi M. Lollium, antequam in Germaniam missus est, in Thracia praefectura functum Bessos devictos subiecisse comperimus. Nam recte legitur *Μᾶρκος Λόλλιος*, quam lectionem optimorum codicum auctoritate confirmatam Boissevainus suo iure in textum recepit. Cum autem Lollius ludis saecularibus, qui mense Junio anni 17 a. Chr. n. editi sunt, quindecimvir sacris faciundis electus[9]) sine dubio ipse interfuerit, in Thracia antehac imperium tenuisse videtur, fortasse iam anno 18; quo posito C. L. Sauromatan (nomen corruptum est) anno 17 a.

---

[4]) LIV, 5, 17.

[5]) LV, 28.

[6]) Tales dictiones eo sensu conceptas, ut res complurium annorum comprehendantur, quibus nil certi de tempore probatur, cum Dio ipse, tum maxime Polybius in primo libro historiarum saepe usurpavit.

[7]) Hoc recte monuit Boissevainus in praestantissima Dionis editione vol. II p. 460 adn. 8.

[8]) Dio LIV, 20. 3. „*ἔν τε τῇ Θρᾴκῃ πρότερον μὲν Μᾶρκος Λόλλιος ... Βήσσους κατεστρέψατο, ἔπειτα δὲ Λούκιος Γάιος Σαυρομάτας ... ἀπεώσατο.*“

[9]) Ephem. epigr. VIII. p. 241. Prosop. Roman. s. v. Lollius.

Chr. n. ei successisse existimamus. Res igitur triennii (annorum 18. 17. 16) c. 20. a. Dione narrantur.

Quae cum ita sint, iure dubitatur, an clades Lolliana ad annum 16 a. Chr. n. recte revocetur. Contextum et formam sermonis ipsam huic opinioni non ita favere apparet. Nam haec quoque pars narrationis ei tempori, quod supra verbis „*κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους*“ significavit, subiuncta est. Nec solum vocabulum „*τότε*“ posuit, ut illud reciperet, sed etiam, ut proxima cum superioribus conecteret. Itaque etsi „*τότε*“ dubie dictum est, tamen, cum priora annum 16 praecedant, facile coniectura fit etiam ea, quae insequuntur, non aliter esse explicanda.

Sed accuratiora secundum Dionem explorantur: Videlicet ad hunc, quem spectamus, finem maxime interest exquirere, quo tempore Augustus in Galliam profectus sit. Dione teste Augustus Romam relinquere iam diu desideraverat, sed non prius, quam de clade a. M. Lollio in Germania accepta certior factus est, discessit. Ante discessum templum Quirini restitutum dedicavisse dicitur.[10]) Diem dedicationis fuisse a. d. XIII. Calendas Martias tituli testimonio[11]) certo scimus. Non multo post, mense ferme Martio, certe quidem ante Megalensia Augustus viam ingressus est. Tiberium enim in annum 16. a. Chr. n. praetorem designatum, cum Augustus eum se peregrinantem sequi iussisset, omnia munera praetoria, quibus ipse fungi debuit, Druso obeunda tradidisse legimus.[12]) Inde autem ab anno 22 a. Chr. n., ut recte monuit Mommsenus,[13]) praetoribus etiam cura ludorum demandata erat,[14])

---

[10]) Dio LIV, 19, 4: „*πρὶν δὲ ἢ ἀφορμᾶσθαι, τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας.*“

[11]) C. I. L. 1² p. 310.

[12]) Dio LIV, 19, 6: „*τὸν δὲ δὴ Τιβέριον καίτοι στρατηγοῦντα παραλαβὼν ἐξώρμησεν. ἐστρατήγησε γὰρ καίπερ τὰς στρατηγικὰς τιμὰς ἔχων καὶ τήν γε ἀρχὴν αὐτοῦ πᾶσαν ὁ Δροῦσος ἐκ δόγματος διήγαγεν.*“

[13]) in Hermae vol. XV p. 111.

[14]) Dio LIV, 2, 3.

quorum maturissime et mense Aprili Megalensia celebrabantur. Itaque ante hoc tempus Augustus et Tiberius Roma profecti sunt.

Huic iudicio subsidio esse potest, quod Suetonius Tiber. c. 9 de Tiberii administratione Galliae commemoravit his verbis usus: „Post hoc Comatam Galliam anno fere rexit, et barbarorum incursionibus et principum discordia inquietam. Exin Raeticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit.“ Raeticum Vindelicumque bellum Strabone teste[15]) complevit unam aestatem et ea clade decertatum est, quam Tiberius et Drusus Vindelicis ad lacum Brigantinum Calendis Sextilibus[16]) anno 15 a. Chr. n. intulerunt. Quamquam Drusus bellandi initium fecit,[17]) tamen Tiberius vere arma sumpsisse videtur; quae ratio siquidem constat, Tiberius eodem fere prioris anni tempore in Gallia apparuit neque habemus cur Suetonio fidem denegemus. Hoc igitur bene convenit cum eo, quod de tempore discessus statuimus.

Nec minus huic consilio favent, quae Dio c. 19 de Agrippa tradidit, etsi inde non ita certum colligitur. Agrippam eo tempore cum Augustus profectionem paravit, iam procul ab urbe afuisse clarissime significavit auctor, cum scribens „*τόν τε γὰρ Ἀγρίππαν ἐς τὴν Συρίαν αὖθις ἐστάλκει καὶ τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ᾽ ὁμοίως ἔχαιρε*,“ (LIV. 19, 6) tempore plusquamperfecti usus est, quod principali notione accipiendum et prorsus suo loco est. Sic enim sententiae contextae sunt: Statilio Tauro Augustum praefecturam urbis et Italiae tradidisse in proximis Dio dixit. Illis autem verbis quasi parenthesis forma additis causam affert, cur maxime illum virum huic muneri praefecerit. Nam existimaverit quispiam Agrippam vel Maecenatem, homines optime de re publica meritos et amplissimo statu collocatos, ea re digniores fuisse. Cui rei obstitit, quod

---

15) IV p. 206. „*Νωρίκους ἔπαυσε Τιβέριος καὶ Δροῦσος θερείᾳ μιᾷ.*“

16) Hor. carm. IV, 14. 34.

17) Dio LIV, 22.

Agrippa iam in Asiam missus erat, ut ibi res componeret, et Maecenati Augustus tum alieno animo fuit. Neque igitur recte iudicant ii, qui Agrippam eo demum tempore, cum Augustus ab urbe in Galliam discessit, mandata accepisse volunt. Sed iam anno priore in orientem profectus est et quidem aestate fere exeunte vel autumno, quia ex actis ludorum saecularium[18]) cum tum Romae fuisse exque Josepho[19]) hiemis initio in Syriam advenisse exploratum habemus. (Qua cum re congruit, quod Dio de ludis quinquennalibus[20]) post Augusti discessum editis tradidit: LIV, 19, 7,8. „*εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου ἐποιήσαντο. κὰν τούτῳ καὶ τὴν πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ διεώρτασαν, τοῦ Ἀγρίππου (ἐν γὰρ τοῖς πεντεκαίδεκα ἀνδράσιν, οἷς ἐκ τῆς περιτροπῆς ἡ διοίκησις αὐτῆς ἐπέβαλλεν, ἤρωτο) διὰ τῶν συνιερέων ἀναλώσαντος*". Falso explicant ii, qui Agrippam illo tempore Romae versatum esse hisque ludis ipsum praefuisse intellegunt. Ea interpretatio plane mihi a Dionis verbis abhorrere videtur. Sed haec sententia auctoris est: Secundum ordinem constitutum eo anno collegium quindecimvirorum ludos edere debuit. Quam ad rem Agrippa quidem, vir eius collegii auctoritate praestantissimus praeter Augustum, sumptum impendit; attamen cum in Asiam missus procul ab urbe esset, ipse curam ludorum suscipere non potuit; itaque collegae eius id munus pro eo praestiterunt. Similiter anno a. Chr. n. 28, cum primum ludi quinquennales celebrati sunt, Augustus impensas toleravit, sed ludos edendos Agrippae mandavit. Hactenus de Agrippa. Mordicus igitur tenendum est vere anni 16 a. Chr. n. eum Romae non fuisse. Contrarium

---

[18]) Ephem. epigr. VIII p. 240. cf. etiam Monum. Ancyr. c. 22 (IV, 36).

[19]) Antiquit. Jud. XVI, 2, 1. Annum Josephus non tradidit.

[20]) De his ludis vide ea, quae exposuit Mommsenus Mon. Ancyr.² p. 41 e. s.

[21]) Dio LIII, 1, 5.

nuper defenderunt Voigtius[22]) et Gardthausenus,[23]) sed mihi quidem non persuaserunt, quippe qui Dionem non recte intellexisse videantur.

Postquam a proposito aberravimus, nunc ad eam rem, de qua disputamus, redeamus. Augustum probabiliter mense Martio ab urbe in Galliam profectum esse supra statuimus. Sed, ex quo nuntius cladis in Germania acceptae Romam perlatus est, aliquantum temporis spatium intercessisse in promptu est. Nam multa praeparanda et procuranda fuerunt, cum princeps complures in annos urbem relinqueret: Exempli gratia imperator exercitum paravit: nam cum exercitu adversus Sigambros profectus est.[24]) Deinde rei publicae administrandae consuluit Statilio Tauro praefecto urbi et Italiae imposito. Aptissime comparantur ea, quae post stragem Varianam acta sunt, quia similitudo quaedam inter has res apparet: Quamquam illa autumno anni 9 p. Chr.[25]) n. facta est, tamen non prius quam proximi anni vere Tiberium cum exercitu recens parato in Germaniam advenisse videmus.

Nil igitur obstare sentio, quominus cladem Lollianam, quamquam narratur coniuncta apud Dionem ad annum 16, tamen re vera iam anno 17 a. Chr. n., ut Obsequens tradidit, factam esse iudicemus. Quod si comprobatur, tempus accuratius definiri potest: nam cum Lollius ludis saecularibus ipse interfuerit, posthac in Germaniam missus est: itaque clades, quam accepit, ad reliquam huius anni partem refertur.

---

22) In libello, qui inscribitur „Griechische Studien H. Lipsius dargebracht (Lipsiae 1894).

23) hist. Aug. II p. 485.

24) Dio LIV, 20, 6: „*μαθὼν οὖν ταῦτα ὁ Αὔγουστος ὥρμησε μὲν ἐπ' αὐτούς, οὐ μέντοι καὶ ἔργον τι πολέμου ἔσχεν· οἱ γὰρ βάρβαροι τόν τε Λόλλιον παρασκευαζόμενον καὶ ἐκεῖνον στρατεύοντα πυθόμενοι κτλ.*"

25) Summo iure ea, quae Zangemeisterus enucleavit, Westdeutsche Zeitschrift 1887 p. 239, impugnantur cf. Hirschfeldium Herm. vol. 25 (1890), Nissenum, annal. Bonn. 98 p. 155.

Caput III.

Quae de Drusi bellis Germanicis tradita sunt, critica ratione recensentur.

Ei auctores, qui de Drusi bellis Germanicis tradiderunt, omnes quidem Livium auctorem secuti sunt, sed varie eum compilaverunt, cum alius alia excerpserit. Plurima et uberrima Dio Cassius retulit ac res contexte eodemque ordine, quo gestae sunt, composuit: itaque si quis historiam Drusi critica ratione tractat, maxime Dioni operam det necesse est. Nec minus Florus fide dignus est, quamquam res carptim perscripsit et contracta oratione usus leviter contexuit. De quo auctore cum iudicium inter viros doctos non constet,[1]) meam ipsius opinionem explico, antequam de singulis disputare aggredior.

Etsi Asbachii sententia, qui Florum facta vero ordine exhibuisse statuit, mihi valde displicet, tamen dispositionem quandam apud Florum non desiderari concedo. Nam, ut plerumque fecit,[2]) narrationem ita disposuit, ut genera quaedam rerum complectatur:[3]) Primum quidem de bellicis factis refert (§ 23, 24, 25). Deinde ea commemorat, quae Drusus instituit, ut terra bello subacta, maxime regiones Rheno flumini proximae, praesidiis castellisque firmarentur, (§ 26). Denique de eventu bellorum, quae Drusus in Germania gessit, eiusque excessu loquitur (§ 27, 28).

---

[1]) cf. Muellenhoffii „Deutsche Altertumskunde“ vol. IV. p. 41. Dederichi „Die Feldzüge des Drusus und Tiberius in das nordwestliche Germanien“ (1869) p. 6; 54 adn. 3. Asbachius (Ann. Bonn. vol. LXXXV, p. 14 e. s.) auctoritatem Flori iusto magis laudavit.

[2]) Exempli gratia Pyrrhi regis historiam ita tractat ut primum de bellis, tum de negotiis publicis disputet (cf. Flor. I, 13. (cf. etiam Justinum I c. 18).

[3]) Flor. II, 30, 21 e. s.

Quae posui, ea breviter illustranda sunt. Prima in parte auctor non attingit nisi res anni 11 a. Chr. n.,[1]) quas vero ordine recenset; immo vero bellum eius anni gravissimum est et excellit ceteris, quod recte ille sensit. — Sed hoc excipio: neque enim ea, quae de caede Romanorum centurionum exhibet, huc spectare videntur, sed ad cladem Lollianam referenda sunt.[5]) — Quod statuimus, his probatur: In exordio huius capitis Drusus ab Augusto id mandatum accepisse dicitur, ut Germaniam bello expugnaret imperioque adiungeret. Vere autem et penitus reputantibus non anno 12 a. Chr. n., sed anno 11 terram subicere coepit. Nam expeditionis priore anno adversus Usipetes Sigambrosque susceptae causa aliunde repetitur, nec Drusus tum illos populos perdomuit, sed vastandi causa eorum agros peragravit. Itaque verba „missus in eam provinciam Drusus primos domuit Usipetes, inde Tencteros percurrit“ revocantur ad annum 11 a. Chr. n. Nec temere mihi dixisse videtur „domuit Usipetes.“ Conferendum est, quod apud Dionem legitur LIV, 33, 1. „*τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο*“ (contra LIV, 32, 2 posuit „*καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὴν τῶν Οὐσιπετῶν διέβη*) et in epitoma Liviana CXL „subactae a Druso referuntur (contra CXXXVIII. „civitates — oppugnantur“). Certe si illa verba ad annum 12 referri voluit, inflatius et parum convenienter scripsit. Historia rerum bellicarum annum 11 non excedit: Nam vocabulis „primos — inde — inde“[6]) usus significavit, quo ordine singula hoc anno acta sint (eodem sensu Orosius, „primum deinde — postea“ posuit VI, 21, 15.), ultimo autem loco eius victoriae mentionem fecit, quam Drusus

---

[1]) Cetera bella Drusi non quidem praeteriit Florus, sed in sequentibus obscure (§ 26) tetigit.

[5]) cf. Dionem LIV 20, 4. schol. ad Hor. carm. IV, 2, 34. Similiter ea, quae Orosius VI, 21, 17 narrat, alio ex conexu rerum eo translata sunt (cf Florum II, 22).

[6]) Verba „nam Marcomannonum“ (§ 23) corrupta esse videntur: Pro „nam“ malim legere „tum“ vel „etiam“, nisi plura exciderunt.

eodem anno regressus a copiis Germanorum foederatorum reportavit.[7])

In secunda parte Florum res compluribus annis gestas comprehendisse apparet: Nam praesidia et castella in interioribus Germaniae vel in expeditionibus ipsis vel non multo post, quam confectae sunt, communita sunt.[8]) Praeterea etsi Drusus praecipue anno 10 a. Chr. n. ripas Rheni fluminis firmandas curavit, tamen verba „in Rheni quidem ripa quinquaginta amplius castella direxit" non solum ad hunc annum spectant; sed etiam de hibernis legionum aliisque castellis cogitari potest, quae prius posita sunt.

Denique ea, quae Florus fine commemoravit, non vindicanda sunt, ut Asbachius iudicavit, ultimo Drusi bello, sed de omnibus factis eius dicta sunt: nam Hercynium saltum, quo nomine Florus pariter ac Caesar usus omnes Germaniae montes comprehendit,[9]) Drusum iam antea intravisse probabile est. Quo accedit, quod alia sententia, quae longe diversam rem continet, inter illa verba et ea, in quibus de morte imperatoris mentionem fecit, interiecta est. Haec de Floro monenda habeo.

Nunc ad singula animum dirigamus. De anno 12 a. Chr. n. auctoritate Dionis[10]) haec relata accepimus: Tumultu in Gallia exorto Sigambri eorumque socii incursionem paraverunt. Drusus Galliis celeriter pacatis Lugduni aram Augusto et Romae

---

[7]) Dio LIV, 33, 3.

[8]) Bergkii emendationem, qui verba tradita „per Mosam" mutavit in „per Amisiam", comprobare non dubito: nam Florus scribens „et praeterea in tutelam provinciae e. q. s." non cogitavit nisi de ea provincia, quae a Romanis parta est, quia in proximis eos amnes Germaniae, quos vidit Drusus, commemoravit Praeterea nomina geographica non raro corrupta vel deformata esse apud Florum inveniuntur, ut historici huius generis in geographia parum instructi esse solent.

[9]) cf. I, 45, 14.

[10]) LIV, 32.

constitutam dedicavit omnesque provinciae gentes principibus sollemne ad concilium convocatis in fidem populi Romani recepit. Rebus in Gallia compositis adversus Germanos exercitum duxit; quibus prope Rhenum acie profligatis in fines Usipetum et Sigambrorum, ut agros depopularetur, excursionem fecit. Exin oras septentrionales Germaniae classe circumvectus maris accolas in ditionem Romanorum redegit, quae expeditio autumno confecta est. Hoc ordine secundum Dionem res huius anni actae sunt. Cum testimonio Suetonii[11]) aram Lugdunensem Calendis Sextilibus consecratam esse constet, tempus accuratius definiri potest. Omnia igitur, quae Drusus in Gallia gessit, hoc tempus praecedunt. Quae suscepit in Germania, posthac facta sunt et exitum aestatis atque autumnum implent; nec quod Drusum hieme demum rediisse Dio scribit, aliquid offensionis habet.

Tum ea, quae periocha Liviana CXXXIX exhibet, recenseamus. Res ibi alio ordine compositas et traditas esse nemo est, quin videat, cum primum de bellicis rebus, deinde de rebellione Galliarum sedata, denique de arae Lugdunensis dedicatione disputetur. Qua de causa dixerit quispiam Dione, quod falso retulisset, insimulato aliter de tempore iudicandum et omnia illa facta ante Calendas Sextiles ponenda esse.[12]) Sed ea sententia facile refutatur: Quamquam enim expeditio maritima ipsis verbis non commemoratur, tamen eam verba „civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae oppugnantur a Druso" generali sensu concepta una comprehendere possunt. Quae expeditio quia cum omni expugnandi et bellandi ratione, quam Drusus secutus est, ac cum eis bellis, quae proximis annis gessit, artissime conexa est, non licet eam ab his longiore temporis spatio interiecto separare.

---

[11]) Claud. c. 2: „Claudius natus est Jullo Antonio, Fabio Africano coss. kal. Aug. Lugduni, eo ipso die quo primum ara ibi Augusto dedicata est."

[12]) Hoc quidem statuit Asbachius l. s. l.

Drusus enim classe Oceanum septentrionalem invectus id in animo habuit, ut, antequam in Germanos terram mediterraneam incolentes impetum faceret, litora maris, quo aditus facilior fuit, imperio subiceret. Livius autem quin de classis expeditione tradiderit, quis dubitaverit, praesertim cum Dio, Suetonius[13]) et Florus, qui ex Livio hauserunt, eius rei mentionem fecerint? Deinde haec adnotanda sunt: Germanos eo, quod Galliae tumultuabantur, maxime incitatos esse, ut bellum commoverent, certo testatur Dio scribens „*Συγάμβρων καὶ τῶν συμμάχων — διά* („τό")[14]) *τοὺς Γαλάτας μὴ ἐθελοδουλεῖν πολεμωθέντων*". Eadem res etiam epitomae Livianae non aliena esse videtur: nam quod ibi dictum est „civitates cis Rhenum positae oppugnantur", maxime ii Germani intelleguntur, qui una cum Gallis rebellaverunt. Itaque ratio constat, siquidem Drusus non prius, quam tumultum Gallorum oppressit, Germanis Transrhenanis bellum intulisse censetur. Quis vero eum seditionis Gallorum negligentem primum adversus Germanos profectum esse, tum Gallos coercuisse cogitaverit? Immo vero strenue ac celeriter, cum summum discrimen imminere sentiret, res in provincia Drusus composuit, antequam Germani Rhenum transierunt. Nec Galli, quo tempore cum Germanis pugnavit, pacem turbarunt; quam ob causam iure eos Claudius imperator illa oratione Lugduni habita laudavit.[15]) His argumentis usi periocham Livianam res gestas anni 12 a. Chr. n. vero ordine recensere negamus: sed vera temporum ratio quae fuerit, ex Dione exploratur.

Anno proximo (11 a. Chr. n.) ut Dio[16]) memoriae prodidit, Drusus veris initio profectus primum Usipetes subegit, tum exercitu Luppiam amnem traducto fines Sigambrorum sine certamine peragravit et occupavit; nam Sigambri ipsi Chattis bellum

---

[13]) Claud. 1.

[14]) Jure mihi Boissevainus „τό" inseruisse videtur.

[15]) Dessau, Inscr. Lat. sel. n. 212.

[16]) LIV, 33.

intulerant, ut ab eis poenas repeterent eius rei, quod anno priore societatem inire noluerunt. Unde ad Cheruscos pervenit. Sed ad Visurgim iter retro vertit. Quem ne transiret, variis causis deterritus est: nam copiae defecerunt, malum infaustumque portentum visum est, denique hiems institit. Exercitus regressus in saltu quodam, qui locus apud Plinium[17]) Arbalo dicitur, summum in periculum incidit, cum Germani undique resistentes proeliis et impetu Romanos exagitarent, sed hostibus devictis fortiter periculo perfunctus est. Eodem anno Alisone et in agro Chattorum prope Rhenum castella posita sunt, unde Germani subacti coercerentur.

Nunc ea, quae Florus et epitoma Liviana CXL tradiderunt, conferamus. Ac primum quidem notamus ibi praeter Usipetes etiam Tencteros commemorari inter eas gentes, quibuscum eo anno Drusus bellum gessit. Quae res facile explicatur: Nam Usipetes Tencterique, qui anno 17 et 12 a. Chr. n. Sigambrorum socii fuerunt res plerumque coniunctim egerunt quasi una gens essent. Itaque auctores saepe nomine unius utrumque populum comprehendunt. [18]) Quam observationem secuti apud Dionem Tencteros subaudimus. Deinceps, quod Florus Drusum Cheruscis, Suebis, [19]) Sigambris, qui arma inter se consociaverant, cladem intulisse refert, id ad ea proelia animum revocat, quae ille tum rediens apud Arbalonem feliciter commisit. Quibus in rebus consensus est inter auctores Sed hoc desideratur apud Dionem: cum Chattis Marcomannisque et Chaucis eo anno pugnatum esse ille non commemoravit. Atqui Chattos quidem cum Sigambris et Cheruscis coniunctos bello interfuisse ex Dione colligitur: quam ob causam Romani partem agri, quem illi tenuerunt, occupaverunt

---

[17]) Plin. Nat. Hist. XI, 55. cf. Jul. Obsequ. Prodig. c. 72.

[18]) Dio LIV, 32. Strabo VII, p. 292. Hoc recte observavit Muellenhoffius „Deutsche Altertumskunde“ IV, p. 420.

[19]) Suebi maxime significari censentur, qui peculiari nomine Chatti vocantur.

castellumque ibi communiverunt. [20]) Sed apud Florum de alia re agitur; nam secundum eum ordinem, quo singula enumerantur, de proelio cogitandum est, quod Drusus separatim contra Chattos fecit, priusquam cum Germanis foedere coniunctis decertatum est. Hoc igitur factum Dio silentio praetermisit. Neque enim lacunae apud eum desunt, quia ex copiosissima Livii historia ea sola deprompsit et retractavit, quae gravissima esse censuit. Ut exemplum afferam: Drusum maritima in expeditione insulas orae obiectas vi expugnavisse et in Amisia amne proelio navali Bructeros superasse Strabonis testimonio compertum habemus; [21]) de qua re Dio silet. Similiter hoc quoque loco compositio rerum hiare videtur. Nam in ea re offendat quispiam, quod, cum Drusus ad Visurgim redire consilium cepit, hiems iam instititit, ut Dio ait, quippe cum bellum iam vere ineunte inceptum prospere ac sine difficultatibus adhuc processerit. Ac profecto aptissime illud suppletur: Chatti enim qui antea Romanis minus infesti fuerunt, maxime a Sigambris impulsi sunt, ut societati Germanorum se adiungerent; quae res, si ponitur praeterea eos detrimento a Romanis accepto incitatos esse, melius intellegitur. Sed quaeritur, qua ratione id factum Dionis narrationi inseramus. Mihi quidem sola haec sententia admittenda esse videtur: Drusus postea, quam Sigambrorum terram occupavit, cum Chattis Marcomannisque proelium conseruit; tum Cheruscis subactis ad Chaucos pervenit, unde consilio Visurgim transeundi omisso redire coepit.

Secundum Dionem bellum huius anni ad Visurgim finem accepit. Nec repugnare puto, quae Suetonius de ea re tradidit in vita Claudii c. 1: „Hostem etiam frequenter caesum ac penitus in intimas solitudines actum non prius destitit insequi quam species barbarae mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra

---

[20]) Dio LIV, 36, 3: „πρὸς γὰρ τοὺς Συγάμβρους μετέστησαν, καὶ τῆς χώρας αὐτῶν, ἣν οἰκεῖν παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφεσαν, ἐξανέστησαν“ (cf. LIV, 33, 4).

[21]) VII, p. 290. VII, p. 291.

sermone latino prohibuisset. Quas ob res ovandi ius et triumphalia ornamenta percepit.“ Uterque auctor Druso visam esse mulierem deae similem, quae eum redire iussit, narravit. Sed de tempore dissentiunt: nam Dio eam fabulam ad annum 9 a. Chr., quo Drusus usque ad Albim pervasit, Suetonius autem ad annum 11 retulit. [22]) Qua de causa Suetonium aliam memoriam secutum esse et Drusum iam anno 11 a. Chr. ad Albim pervenisse nonnulli coniectaverunt. Quod non credibile est, praesertim cum Dio et Suetonius ex Livio hauserint: Adnotandum est verba Dionis LIV, 34, 5: „*διὰ μὲν οὖν ταῦτα τάς τε ἐπινικίους τιμὰς καὶ τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐσελάσαι — χρήσασθαι ἔλαβε*“ paene congruere cum Suetonii „Quas ob res ovandi ius — percepit.“ Meo quidem iudicio Suetonius fabulam falso loco posuit. Certe quamqum illa apud eum aliter coniuncta et composita est, tamen non habemus, quod eum de bello anni 11 alia traditione usum esse iudicemus. Nil ei rei tribuendum est, quod Florus ea flumina enumerans, ad quae Drusus praesidia et custodias munivit, Albim ante Visurgim posuit: nam eum ita scripsisse similitudinis verborum causa perspicuum est.

Anno 10 Drusus magis artibus pacis quam belli operam dedit: maxime autem curam et studium adhibuit ad castella prope Rhenum communienda et firmanda, quae res in singulis satis obscura est.

Anno a. Chr. n. 9 Drusum usque ad Albim exercitum perduxisse Dionis [23]) auctoritate constat. Cuius testimonii fides hac ratione confirmatur: Tiberius anno post Drusi excessum (8) omnes Germanorum gentes, quae inter Rhenum et Albim consederunt,

---

[22]) Drusum anno 11 praetura functum ovandi ius et triumphalia ornamenta percepisse testatur Dio LIV, 33, 5.

[23]) LV, 1.

in fidem populi Romani recepit, ut Dio [24]) et Cassiodorius [25]) Aufidium Bassum secuti retulerunt. Quarum deditione accepta opus a fratre inchoatum, quod ne perficeret, praematura morte ille prohibitus est, consummavit. Eo autem anno pariter ac proximo [26]) Tiberius res belli minime fortiter et strenue gessit. quod ipsius a moribus non abhorret, utpote qui maior pace quam bello fuerit. Velleius ipse, ille laudator Tiberii, quamquam iactantius loquitur, tamen de militaribus factis silet [27]): nam quibus verbis usus est „peragratusque victor omnes partes Germaniae sine ullo detrimento commissi exercitus . . . sic perdomuit eam, ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae", ea nil significant nisi imperatorem undique cum exercitu apparentem Germanos, ut in deditionem venirent, coegisse. Itaque ratio constat, siquidem non Tiberium, sed Drusum omnem terram, quae inter Rhenum et Albin sita est, armis subegisse ac perdomuisse statuimus. [28]) Livii traditionem revocare possumus praeter Dionis testimonio usi etiam argumentis congestis ex eis auctoribus, qui memoriam rerum gestarum Livio debent. Primum quidem, Suetonius [29]) et Eutropius, [30]) cum Augustum Germanos ultra

---

[24]) LV, 6.

[25]) Chron. ad a. 746: „C. Asinius et C. Marcius. His consulibus inter Rhenum et Albim Germani omnes Ti. Neroni dediti". Cassiodorius fastos consulares ab anno 9 a. Chr. n. usque ad annum 31 p. Chr. n. secundum Aufidii Bassi historiam composuit (cf. Mommsenum, Mon. Germ. Auctor. antiquiss. Chron. min. II p. 112).

[26]) Dio LV, 9.

[27]) Vell. II, 97, 4.

[28]) Aufidium Bassum merita Drusi imminuisse Tiberiumque plus laudasse sine causa Muenzer iudicavit (in annal. Bonn. vol. CIV, p. 68, 1899).

[29]) August. 21. „Germanos ultra Albim fluvium submovit, ex quibus Suebos et Sigambros dedentes se traduxit in Galliam . . . ."

[30]) VIII, 9. „Augustus . . Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Albim fluvium submovit . . . . Hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit, ... quo bello XL captivorum milia ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia conlocavit."

Albim fluvium submovisse iisdem fere verbis scribunt, de postremo Drusi bello cogitaverunt: nam proximis in verbis Sigambri in citeriorem Rheni ripam translati esse dicuntur, quod Tiberii iussu anno 8 a. Chr. n. factum est.[31]) Hoc autem ex Livio sumptum est: quia Suetonius et Eutropius sive Livii opus ipsum sive epitomam Livianam compilaverunt. Quo accedit alterum argumentum: Tiberius nuntio accepto Druso redeunti in Germania gravissimum incommodum accidisse statim ex Gallia Cisalpina, quo cum Augusto profectus erat, ad fratrem festinavit eumque adhuc spirantem repperit. Cuius rei auctores sunt Valerius Maximus[32]) et Plinius,[33]) qui ex Livio hauserunt. Ille locus, ubi Tiberius et Drusus convenerunt, cum ducenta milia passuum a Rheno distare dicatur, distantiam vero inter Rhenum et Albim Velleius et Strabo quadringenta fere milia passuum secundum itineraria, ut putatur, computaverint, non procul a Visurgi fuisse videtur. Sed multo longius Drusus progressus est: nam itinere triginta fere dierum confecto eo pervenit, ut periocha Liviana CXLII exhibet. Quodsi haec omnia respiciuntur, non dubium est, quin Drusum anno 9 a. Chr. n. usque ad Albim penetrasse Livius narraverit.

---

[31]) Dio 55, 6. (cf. etiam Suet. Tib. 9).

[32]) V, 5, 3.

[33]) Nat. Hist. VII, 74. Plinius in eis libris, quos de bellis Germanicis conscripsit, bella Drusi diligentissime pertractavit, sicut Plinius minor (Epp. III, 5) testatur.

Caput IV.

Quo tempore Lucius Domitius Ahenobarbus in Illyrico et in Germania res gesserit.

Inter omnes constat Tiberium anno a. Chr. n. 6 imperio exercitus Germanici, quo per biennium functus erat, se abdicavisse, ut omnibus negotiis publicis sepositis Rhodum se conferret, et anno p. Chr. n. 4 iterum in Germaniam missum esse. De eo tempore, quod hos annos intercedit, cum Romani, ut videtur, non iisdem viribus et eodem successu, quo antea et Druso Tiberioque imperantibus, res in Germania gesserunt, pauca et ea quidem non satis certa memoriae prodita sunt: quae redeunt,[1]) ut illum locum Velleii excipiam, ubi de M. Vinicio refertur, ad Dionis fragmentum 55, 10_a, de quo nunc data opera diligenterque disseramus.

Ut breviter res traditas explicemns: Dio ibi de eis, quae a L. Domitio Ahenobarbo, Neronis imperatoris avo, in Germania acta sunt disputat. Primum Domitius turbae Hermundurorum, quae ex patria expulsa et latius pervagata eius auxilium imploraverat, novas sedes in parte quadam Marcomanniae vel graece „ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος" assignasse perhibetur, qua in expeditione usque in terram trans Albim sitam pervenit ibique aram Augusto posuit.[2]) Deinde apud Cheruscos, ubi intestina seditione coorta homines quidam domo eiecti erant, frustra eum res in pristinum statum redigere temptasse comperimus, quam ob causam Germanis in contemptum venit. Haec facta non inter se cohaerent, sed de tempore longe distant: illud quidem eo tempore accidisse significatur, cum Domitius regiones Danuvio proximas rexit, hoc autem, cum ille Germanico exercitui praepositus apud Rhenum imperium

---

[1]) II, 104.

[2]) cf. praeter Dionem Tacitum Annal. II, 44 Suet. Ner. 4.

tenuit. Neque enim aliter verba „πρότερον μὲν, ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε“ et „τότε δὲ πρὸς τὸν Ῥῆνον μετελθών“ percipienda sunt Quodsi quaerimus, quam provinciam Dio scribens „ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε“ intellegi voluerit, sola de provincia Illyrico cogitari potest, cuius fines bello a Tiberio cum Pannoniis inde ab anno 12 usque ad 10 a. Chr. n. gesto ad Danuvium flumen prolati sunt,[3]) quaeque anno 11 a. Chr. n. Augusto administranda tradita est.[4]) De tempore secundum Dionem nil certo constat nisi Domitium anno a. Chr. n. 1 expeditionem in Cheruscos fecisse: nam vocabulo „τότε“ illud recipitur, quod in exordio huius loci de tempore dixit his verbis usus: „ταῦτά τε οὖν ἅμα καὶ τὰ τῶν Κελτῶν ἐκαινώθη“. Unde eam ad annum 1 a. Chr. n. referendam esse colligitur, cuius anni rebus narrandis Dio ibi maxime operam dat.[5]) Sed quo anno Domitius imperium in Germania acceperit, Dio in incerto reliquit: nam errant ii, qui eo anno eum in Germaniam missum esse statuunt, qui fuit postremus administrationis eius annus;[6]) sed hoc iam compluribus annis ante factum est. Neque etiam, quibus annis Domitius Illyricum administraverit, Dio tradidit: quamquam eum ibi res gessisse, certum est, antequam Germaniae praefuit. Itaque auctorem hoc loco res complurium annorum comprehendere apparet. Haec mihi de interpretatione dicenda sunt.

---

[3]) v. Monum. Ancyr. V, 44. Marquardtii enchir. antiqu. Rom. 1 p. 137. Zippeli „Die röm. Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus“ p. 297 e. s

[4]) Dio LIV, 34, 4: „κἀκ τούτου ἡ Δελματία τῇ τοῦ Αὐγούστου φρουρᾷ παρεδόθη.“

[5]) C. Caesar fine anni 1 a. Chr. n. consul designatus (Suet. Aug. 64) in orientem missus est, de qua re Dio in prioribus retulit. Ad proximum annum 1 p. Chr. n. transit § 4: nam anno 1 p. Chr. n. C. Caesar una cum Aemilio Paullo consulatum gessit, quem in Syria iniisse videtur („ὁ γὰρ Φρααάκης, τὸν Γάιον ἔν τε τῇ Συρίᾳ ὄντα καὶ ὑπατεύοντα ἀκούσας“).

[6]) Nam M. Viuicius ei anno 1 p. Chr. n. successit (Vell. II, 104).

Nunc quaestio oritur sane difficilis, cuius maxime interest, num, quibus annis Domitius praefectura in Illyrico et in Germania functus sit, accuratius determinari possit. Quam ad rem ea, quae Dio exhibet, non sufficere iam vidimus: nam vacat tempus inter annum 10 et annum 1 a. Chr. n., cum ab anno 12 usque ad annum 10 Tiberius quidem in Illyrico, Domitius autem iisdem annis, ut videtur, certe post annum 12 proconsul in Africa[7]) res gesserit et anno 1 a. Chr. n. Domitius illam expeditionem in Cheruscos fecerit. Sed aliunde subsidiis allatis termini fortasse artius contrahi possunt. Nam velis haec reputare: Cum iis annis, qui post Tiberii administrationem Germaniae (annis 8 et 7 a. Chr. n.) proxime consequuntur, alios praefectos ibi fuisse ignoremus, facile coniectura fit Domitium anno a. Chr. n. 6 statim Tiberio successisse. Quod si recte ponitur, eum eiusdem Tiberii successorem antea inter annos 9 et 7 a. Chr. n. Illyrico praefuisse existimamus. Quae opinio re denuo considerata non displicet. His enim argumentis probari potest: Dionem, quod quidem de rebus Germanicis scripserit, neque universum rerum conexum et ordinem nec seriem praefectorum lacuna intermisisse negamus; contra aliis locis collatis semper eum narrationem ibi continuare reperio, ubi prius substiterat, quamvis leviter res attingat. Quod exempli gratia clarissime illustratur loco Dionis LV, 28, 5, ubi oratio hoc loco abrupta excipitur: nam scribens „καὶ ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἐστράτευσαν μὲν καὶ ἄλλοι τινές“ maxime de M. Vinicio cogitavit, qui anno 1 p. Chr. n. in Germaniam missus est. Nil obstat, quominus de hoc loco, quem tractamus, idem iudicemus. Itaque Tiberium Caesarem L. Domitium successorem in Germania accepisse volo. Nec quod de tempore Illyricae praefecturae coniectura collegimus, ratione et probabilitate caret. Hermunduros enim, quibus Domitius, Illyrici legatus, operam

---

7) C. J. L. VIII, 68.

navavit, Marcomannorum vi et quidem eo tempore, cum in Bohemiam immigraverunt, commotos et exagitatos fuisse probabile est. Marcommanni[8]) autem ante annum 8 a. Chr. n. terram Boiorum occupaverunt: Neque enim in numero eorum Germanorum, qui eo anno se in ditionem Romanorum tradiderunt, quaerendi esse videntur. Qua cum re bene conciliatur, quod Velleio teste[9]) Marcomanni eo consilio se in interiora Germaniae receperunt, ut Romanorum ab imperio potentiaque quam longissime removerentur. Hoc si vere statuitur, illam expeditionem, quam Domitius suscepit, ut Hermunduros in novas sedes transferret, paullo post, circa annum 9 vel 8, consecutam esse censemus, quo tempore Domitium in Illyrico res gessisse supra coniectavimus. Haud scio an collatis eis, quae de rebus illo tempore in Germania gestis tradita sunt, plus enucleari possit: Tiberius anno 8 a. Chr. n. praemature Romam rediisse videtur, ubi usque ad veris initium proximi anni versatus est. Tempore interiecto in Germania tumultus non leves exorti erant,[10]) qua re ille revocatus est. Fortasse praeter alia etiam de Hermundurorum illo motu, qui a Domitio sedatus est, cogitare licet. Certe ita explicatur legatum Illyrici propriis viribus consiliisque Germanicis rebus se immiscuisse.

Id quod proposui, non improbandum mihi videtur, quamquam, quae traditionis condicio est, ad liquidum explorari nequit.

---

8) Cum Marcomannis Drusus anno 11 a Chr. n. pugnavit cf p. 18.

9) II. 108.

10) Dio LV, 8, 3: „καὶ οὐ πολλῷ ὕστερον κινηθέντων τινῶν ἐν τῇ Γερμανίᾳ ἐξωρμήθη.“

Caput V.

Ubi Hermunduri a. L. Domitio Ahenobarbo, Illyrici legato, collocati sint.

Postquam de tempore eius expeditionis, quam Domitius Ahenobarbus, Illyrici legatus, in Germania suscepit, disputatum est, restat subtilius investigare, quibus fere in regionibus Hermunduri tum ab eo collocati sint; qua quaestione ad finem perducta etiam de ea re decidi potest, qua via Domitius iter fecerit. Nam quod Dio dixit „ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος", duplicem explicationem admittere videtur, cum vel ea loca, quae occupaverunt, vel ea, quae reliquerunt, intellegi possint. De qua re ambigitur; itaque, quid maxime probabile sit, quaerendum. Ut, quo tendat haec dissertatio, praecipiamus: si testimonia de sedibus Hermundurorum, quae apud auctores primi p. Chr. n. saeculi inveniuntur, recensemus, Hermunduros tum in Bohemia consedisse, quod multis visum est, non probatur; neque igitur eos novas sedes ibi a Domitio accepisse credibile est. Quo iudicio usus Abrahami [1]) sententiam, qui Hermunduros in septentrionali parte Bohemiae idque in eis regionibus, quae fontibus fluminum Albis et Mari proxime adiacent, collocatos esse voluit, impugnandam esse censeo.[2])

Sed nunc quaestionem aggrediamur ac testimonia de Hermunduris explicemus.

I.

Primum de Velleii loco II, 106 pauca adnotanda sunt. Scriptum ibi legitur: „flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit." Sententiam auctoris non recte

[1]) „Zur Geschichte der germanischen und pannonischen Kriege unter Augustus," Berolinae 1875.

[2]) Kirchhoffius in libello, qui inscribitur „Thüringen doch Hermundurenland" (Lipsiae 1882), Abrahami sententiam quidem improbavit, sed rem leviter attigit.

percipiunt ii, qui Hermunduros in ulteriore fluminis ripa et Semnonibus meridiem versus finitimos degisse inde colligunt. Quae interpretatio audacissima est. Sed proprio et principali sensu illa verba explicanda sunt: Itaque Hermunduros in citeriore ripa et Semnones in ulteriore sedes tenuisse intellegimus, quarum gentium fines Albis flumen separavit. Cum autem Semnones marchiam Brandenburgensem et regiones proximas incoluisse satis constet, Hermundurorum domicilia ferme in regno Saxonum, quod hodie dicitur, quaerenda sunt.

II.

Exin ea, quae Strabo de Hermunduris refert, pertractemus: „μέγιστον μὲν οὖν τὸ τῶν Σοήβων ἔθνος· διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος· μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι καὶ Λαγκόβαρδοι· νυνὶ δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες“ (VII, p. 290, 291). Quibus verbis Hermunduri et Langobardi bello, ut videtur, coactiultra Albim se recepisse perhibentur. Sed ut cognoscatur, quam ad aetatem ea verba referenda sint, lectorem revoco ad ea, quae supra de origine et fundamento Strabonis geographiae, quod quidem Germaniam tractet, significavi.[3]) Haec addo: Strabo quae de rebus et situ populorum Germaniae composuit, ea maxime ad id tempus spectant, cum Tiberius imperium ibi iterum tenuit (anno 4 et 5 p. Chr. n.). Ut singula demonstrem: ea, quae Strabo de accolis fluminis Albis et maris ac de incolis septentrionalium regionum commemoravit, bellis a Tiberio tum gestis explorata et percognita sunt; expeditione maritima anni 5 p. Chr. n. Cimbrorum memoria resuscitata est;[4]) denique huc etiam spectant ea, quae de potentia imperioque Marobodui retulit, quocum Tiberius anno proximo bellum gerere coepit.

Haec reputantes bello a Tiberio anno 5 p. Chr. n. gesto Hermunduros Langobardosque coactos esse cogitamus, ut in ulteriora

---

[3]) cf. p. 3.

[4]) Vell. II, 106, 3 Mon. Ancyr. V, 14.

Albis recederent: neque igitur illa verba revocanda esse videntur ad eam aetatem, qua Strabo opus conscripsit. Quae coniectura multum probabilitatis habet: nam anno 5 p. Chr. n., cum Tiberius usque ad Albim progressus est, illae gentes in citeriore ripa fluminis degisse traduntur. Quod quidem de Hermunduris iam supra statuimus. Idem Velleius etiam de sedibus Langobardorum testatur, cum Tiberium, antequam ad Albim pervenit, eorum fines peragravisse dicat.[5]) Itaque posthac metu Romanorum perculsi et exagitati, cum liberi esse cuperent, in terram trans Albim sitam confugisse existimantur. Ac profecto habuerunt, quod Romanos timerent: nam Tiberii bellis eorum potentia ita aucta et confirmata est, ut paucis annis post Germaniam subiectam in provinciae formam redigere inciperent. Fortasse transgressi in tutelam Marobodui, regis Marcomannorum, se contulerunt, qui Velleio teste omnibus Germanis, qui Romanis parere noluerunt, perfugium dedit: certe Langobardos postea Marcomannis subiectos fuisse constat,[6]) de qua re Strabo illo loco, ubi de regno Marobodui disputat, nihil tradidit. Hermunduros autem et Langobardos diu trans Albim habitasse vix credendnm est, non multo post in pristinas sedes rediisse videntur.

III.

Nunc ad Taciti testimonium traditum in Germania c. 41 transeamus. Quo loco auctor, postquam Romanos apud Danuvium usum commerciumque habere cum Hermunduris proxime degentibus dixit, orationem continuans de origine Albis fluminis haec exhibet: „in Hermunduris Albis oritur, flumen inclutum et notum olim; nunc tantum auditur." Quae verba eorum opinioni, qui Hermunduros in Bohemia sedes habuisse volunt, favere videntur. Sed si quis diligentius de ea re quaesiverit, errorem his subesse et Tacitum perverse retulisse persuasum habebit. Quamquam id excusare

---

[5]) Vell. II, 106: „Fracti Langobardi, denique . . . usque ad flumen Albim . . perductus exercitus."

[6]) Tac. Ann. II, 45.

velim: Neque enim a Romanis exploratae erant nisi eae partes Germaniae, quae inter Rhenum et Albim iacent quaeque bellis Augusti imperatoris auspiciis gestis perdomitae erant; quodcumque terrarum ultra hos terminos patescit, paene incognitum fuit, quia Romani exercitus eo non penetraverant. [7]) Quo magis autem tempus processit et bella cum Germanis praecipue ad Rhenum et Danuvium gesta sunt, eo magis etiam interiora Germaniae ab eorum conspectu ac cognitione remota sunt. Tacitus ipse hoc loco homines suae aetatis de Albi fama et auditu tantum accepisse commemorat. Qua de causa falsae opiniones facile exoriri et propagari potuerunt. Tacitus igitur hic doctrinam sui ipsius temporis, quae vitiis non immunis fuit, secutus est. Eundem autem errorem Ptolemaeus cum Tacito communem habet; apud quem cum accuratiora tradita sint, inde quaestionem ordiri placet.

Secundum dispositionem tabulae, quam Ptolemaeus explicat, fontes Albis fluminis ab ea parte montium Sudetorum quaeruntur, quae maxime ad orientem vergit. [8]) Sed nomine „*Σούδητα ὄρη*“ quem tractum montanum significaverit, hoc loco demonstratur: „*Τῶν δὲ διεζωκότων τὴν Γερμανίαν ὀρέων] ὀνομαστότατά ἐστι τά τε εἰρημένα καὶ ἰδίως καλούμενα Σαρματικὰ . . . . . καὶ τὸ Μηλίβοκον, . . ὑφ᾽ ὃ ἔστιν ἡ Σημανοῦς ὕλη· καὶ τὸ Ἀσκιβούργιον, οὗ τὰ πέρατα ἐπέχει μοίρας λθ´ νδ´ καὶ μδ´ νγ´, καὶ ἔτι τὰ καλούμενα Σούδητα ὄρη, ὧν τὰ ἄκρα ἐπέχει μοίρας λδ´ ν´ καὶ μ´ ν´* II, 11, 5. ed. Mueller. Cui usloci quam explicationem Kirchhoffius [9]) dedit, ea non probanda est. Hac enim ratione ille processit: Ut videtur praeter verba „*ἡ Σημανοῦς ὕλη*“ etiam verba „*καὶ τὸ Ἀσκιβούργιον, οὗ τὰ πέρατα ἐπέχει μοίρας*“ relativo „*ὑφ᾽ ὅ*“ subiecta esse voluit. Certe silvam Semanum Asciburgium montem (hodie Riesengebirge) et Sudetos montes Melibocum (hodie

---

[7]) Strabo VII, p. 294.

[8]) fontes fluvii 39⁰ 50. II, 11, 1 ed. Mueller Sudeti montes 34⁰ 50⁰ et 40⁰ 50⁰. II, 11, 5.

[9]) cf. supra p. 27, adn. 2.

Harz) prope attingere interpretatus est. Quam interpretationem secutus silvam Semanum cum eis montibus, qui hodie dicuntur „Sächsisches Erzgebirge," ac Sudetos cum eis, qui hodie vocantur „Thüringisch-Fränkischer Wald," comparavit. Quodsi apud Ptolemaeum Albis ab ea parte montium Sudetorum originem habet, quae ad orientem spectat, non dubitavit, quin Salam fluvium Albim esse veteres falso opinati essent. Id quidem disseruit Kirchhoffius. Sed nec verba nec sensum Ptolemaei recte intellexisse mihi videtur; etiam sententiam absurdam fieri observamus, quia tabula Ptolemaei Asciburgium montem non a Meliboco austrum versus, sed boream versus disponit. Aliter res expedienda est. Verbis „*καὶ τὸ Ἀσκιβούργιον κτέ.*" absolute positis continuatur oratio exordio huius paragraphi sic incepta: „*Τῶν δὲ διεζωκότων τὴν Γερμανίαν ὀρέων ὀνομαστότατά ἐστι.*" Invertendum igitur est, quod Kirchoffius exposuit. *Σούδητα ὄρη* iidem montes sunt, quibus hodie nomen est „Sächsisches Erzgebirge," et Semanus silva iidem, qui hodie nominantur „Thüringisch-Fränkischer Wald." Quod quidem Sudeti montes ab Asciburgio in Ptolemaei tabula longe disiuncti sunt, ut non cohaereant, id falsa Asciburgii positione explicatur, qua Bohemia mirum quantum septentrionem versus extensa et porrecta est. Hoc igitur statuendum est: Ptolemaeus veram originem Albis ignoravit, de qua unus Dio Cassius[10]) recte retulit, sed in illa regione, ubi flumen Bohemia relicta in planitiem Saxonicam cursu effunditur, eam quaesivit. Eadem opinio Tacito quoque vindicanda est, siquidem scribit „in Hermunduris Albis oritur." Itaque cave, ne Hermunduros tum in Bohemia sedes habuisse inde colligas. Idem de hac re censuit Muellenhoffius[11]), cuius librum legendum accepi, postquam iam huius quaestionis fundamenta posui.

---

[10]) 55, 1: „*ῥεῖ ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν.*"

[11]) Deutsche Altertumskunde IV p. 476.

IV.

Restat disputare de loco Taciti Annal. XII, 29, 30; ubi Hermunduri accolae fuisse Sueborum Vannii dicuntur. Qua de re ut recte iudicemus, altius repetere necesse est ac primum sedes Sueborum accuratius definire.

De origine regni Vanniani Tacitus Annal. II, 63 haec adnotat: Anno p. Chr. n. 20, postquam Maroboduus et Catualda e regno Marcomannorum expulsi sunt, eorum comites a Romanis in sinistra Danuvii ripa inter fluvios Marum et Cusum sedes acceperunt Vannio gentis Quadorum rege imposito.

Vulgo[12]) fere adhuc illi Suebi eas regiones incoluisse existimantur, quae a Maro amne orientem versus patescunt. Quae opinio num defendi possit, nunc videamus.

Maxime refert recte interpretari hunc locum Plinii Nat. Hist. IV, 81: „Superiora autem inter Danuvium et Hercynium saltum usque ad Pannonica hiberna Carnunti Germanorumque ibi confinium campos et plana Jazyges Sarmatae, montes vero et saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem. A Maro, sive Duria est a Suebis regnoque Vanniano dirimens eos, aversa Basternaei tenent aliique inde Germani." Confinium Germaniae, quod ad meridiem et orientem versus spectat, ibi duplici ratione determinatur: Nam primum quidem Sarmatae Jazyges, Ungariae incolae, prope Carnuntum fines attingere perhibentur; tum Marus fluvius sive Duria seiungere Suebos Vannii a Bastarnis dicitur, qui regiones septentrionem et orientem versus sitas incoluerunt.[13]) Sed rem si spectas, nihil interest: Marus enim prope Carnuntum in Danuvium influit.[14]) Itaque Maro fluvio vel eis montibus, qui minores Carpathi vocantur, Sueborum sedes orientem versus finiuntur.

---

[12]) cf. Muellenhoffii „Deutsche Altertumskunde" II p. 322 c. s. IV p. 481 c. s. Zeussii „Die Deutschen u. d. Nachbarstämme" p. 118.

[13]) Verba „dirimens eos" sine dubio ad Bastarnas referuntur.

[14]) cf. infra p. 35 adn. 21.

Quod cum constet, fluvius Cusus, inter quem et Marum Tacito auctore Suebi a Romani collocati sunt, non quaeritur nisi a Maro occasum solis versus. Alia interpretatio non admittitur. Itaque sententia a Muellenhoffio aliisque viris doctis prolata exstirpanda est. Sed quem fluvium Tacitus intellegi voluerit, certo diiudicari nequit, quamquam similitudo verborum Mommseni coniecturae favere videtur, qui Cusum fortasse componendum esse cum fluvio „Gusen" adnotavit.[15])

Eisdem fere regionibus etiam secundum Ptolemaeum sedes Sueborum assignandae sunt: nam *Βαῖμοι*, quos nominat, quin a Suebis Vannii non diversi sint, quod iam Zeussio placuit, non est dubium. Sed cum alii aliter de Ptolemaeo iudicaverint, res postulat, ut totam de hac parte Germaniae tabulam[16]) diligenter explicemus; qua in re ea, quae Ptolemaeus tradidit, non multum discrepare ab eis, quae aliunde nota sunt, maxime demonstramus.

Primum de septentrionali parte disseramus. Qui populi hic recensentur, ei haud dubie terram Asciburgio monti subiectam implent. Hoc mihi de omnium situ exploratum est. Quod ad peculiarem dispositionem attinet, Corcontii quidem et Lugii Buri regionem meridianam ab Albi fere usque ad Vistulam incolunt, ceterae gentes infra eos considunt in eis locis, quae fontibus et superiori parti Mari fluvii proxima sunt. Quamquam singula ita, ut tradita sunt, accipere valde dubito: nam vix haec tabula vitiis immunis est, ea ipsa de causa, quod Asciburgium montem Ptolemaeus perverse posuit. Tamen huius traditionis fundamenta redire fidam ad memoriam nec nimis longe a vero abhorrere Taciti auctoritate probatur, cuius descriptionem[17]) nunc paucis verbis adumbremus.

---

[15]) Hist. Rom. V. p. 196 adn. 1.

[16]) II, 11, 10 et 11 fine (ed. Mueller).

[17]) Germ. c. 43.

Cotinos et Buros eosdem esse ac „*Κῶγνοι*“ et „*Λοῦγοι οἱ Βοῦροι*“ Ptolemaei manifestum est omisso, quod Buri apud Tacitum non Lugiis adnumerantur, praeterea in nomine „*Οὐισβούργιοι*“ fortasse latet mendosa Graeca forma nominis „Osi.“ Quarum gentium sedes ut definiamus, Tacitus ipse haec subsidia suppeditat: Primum a tergo Marcomannorum Quadorumque collocantur. Quodsi verba „terga claudunt“ propria notione percipias, ita quidem, ut a Danuvio mente prospicias, eas quaerere licet in illis regionibus, quas Ptolemaeum secuti eis assignavimus. Deinde accuratiora efficiuntur ex his verbis: „omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. Dirimit enim sciditque Suebiam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt, ex quibus latissime patet Lugiorum nomen in plures civitates diffusum.“ Quibus verbis illi montes clarissime significantur, qui Silesiam a terra Marcomannorum Quadorumque seiungunt, i. e. Asciburgium Ptolemaei montesque, qui ei adiacent. Itaque secundum Tacitum illi populi partim montes saltusque, partim campos subiectos tenuerunt: neque aliud Ptolemaeus retulit. Quae explicatio ea re confirmatur, quod Cotini Osique et Sarmatis, qui Poloniam incoluerunt,[18] et Quadis stipendiarii fuisse perhibentur: Inter quos populos eos habitasse inde colligitur. Iterum igitur de locis supradictis cogitandum est. Ptolemaeum in summa rerum non dissentire a Tacito ex eis, quae diximus, apparet.

Transgrediamur ad alteram partem tabulae Ptolemaei: Qua in explicanda auctor ab illo saltu profectus, quem proprio nomine „*Ὀρκύνιος Δρυμός*“ usurpavit, meridiem versus ad Danuvium procedit: nam „*ὑπό*“ principali sensu accipiendum est, quia Ptolemaeus tabulam describens et illustrans populos gentesque ita recenset, ut alios sub alios disponat. Neque igitur Zeussio assentimur, qui *ὑπὸ* ibi idem fere, quod „orientem versus,“ significare voluit.

---

[18] **Sarmatae Jazyges, de quibus cogitavit Muellenhoffius, non intellegendi esse videntur.**

Quae si sententia auctoris fuisset, aliter scripsisset, exempli gratia „ἀνατολικός,“ „πρὸς ἀνατολὴν“, „ἀπ' ἀνατολῶν“ vel similiter. Nunc ad rem ipsam redeamus.

Quadi apud Ptolemaeum satis recte ponuntur. Deinde sequuntur Baemi, qui a Quadis ferri fodinis et Luna silva dirimi dicuntur. Quid autem de his σιδηρωρυχεῖα iudicamus? Discrepat enim inter Tacitum et Ptolemaeum, siquidem de eisdem locis cogitaverunt, cum Tacitus quidem ferrarias in finibus Cotinorum, qui supra Quados quaeruntur, commemoret. Plerique Tacitum recte tradidisse rati Ptolemaeum vitii insimulant. Quod si probatur, hac fere ratione discrepantiam ortam esse credibile est. Ptolemaeus apud eum auctorem, quem secutus est, [19]) illas ferri fodinas infra Hercyniam silvam in agro Quadorum positas esse repperit; sed cum geographiam componeret, ibi nomen saltus Hercynii longe alia notione, atque ipse usus est, usurpatum esse neglexit; fortasse ille auctor eos montes ita significavit, quibus terra Marcomannorum Quadorumque a septentrionali parte determinatur. [20]) Neque etiam haec explicatio inepta est: Nescio an Ptolemaeus et Tacitus diversa loca, ubi ferrum effossum est, animo spectaverint; nam inde, quod τὰ σιδηρωρυχεῖα et Luna silva iuxta collocata sunt, ea proxime attingere coniectaveris. Sed utcumque ea quaestio disceptatur, nil valet ad hunc finem. Maxime enim Ptolemaeus Baemos infra Lunam silvam posuit (ἡ Λοῦνα ὕλη, ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος οἱ Βαῖμοι). Luna autem silva in dextra ripa inferioris partis Mari fluminis quaerenda est: quod certo statuitur collatis his verbis paragraphi tertiae huius capitis: „τὸ κατὰ τὴν ἑξῆς ἐκτροπὴν τοῦ παρὰ τὴν Λοῦναν Ὕλην πρὸς ἄρκτους ῥέοντος ποταμοῦ,“ ubi intellegendum esse Marum numeris graduum appositis [21]) probatur. Sedes igitur Sueborum boream versus Luna silva, orientem versus, ut videtur, Maro flumine vel

---

[19]) Ptolemaeum ex Germania Taciti hausisse valde improbabile est.

[20]) cf. Strabonem VII, p. 295.

[21]) Carnuntum 39° 47° (II, 14, 3).

montibus proximis finiuntur; hoc secundum Ptolemaeum constat. Suebos denique secundo amne Racatriae et Racatae sequuntur, quarum gentium nomina corrupta esse censentur. Neque autem mirum est, quod Suebi, quamquam non ita amplum terrae spatium implent, *μέγα ἔθνος* a Ptolemaeo vocantur: nam id spectat ad eam potentiam, quam Vannio regnante illi tenuerunt.

Ea, quae statuimus, satis congruunt cum eis, quae illum locum Plinii interpretati exploravimus: Neque igitur dubium est, quin Suebi Vanniani ultra Danuvium a Maro flumine occidentem versus sedes habuerint. Quo iudicio usus eam opinionem non assector, quam cum alii viri docti tum Muellenhoffius protulerunt.

Quaestione de sedibus Sueborum absoluta nunc ad illum locum Taciti, quem explicare nobis in proposito est, redeamus. Quos fines definivimus, eos Suebi Marobodui et Catualdae comites a Romanis acceperunt anno 20 p. Chr. n., cum Vannii regnum conditum est. Sed postea Vannii imperium hos terminos longe excessit: nam per universam terram Marcomannorum propagatum esse videtur. Quod quidem certo testimonio non constat, sed ex eis colligitur, quae Tacitus l. s. l. de exactione Vannii refert. Primum haec adnoto: Vannius ibi triginta per annos praedationibus et vectigalibus regnum auxisse dicitur; ex quo cum alios populos sibi stipendiarios fecisse et in ditionem suam redegisse apparet. Tum velis inspicere haec verba: „Vannius odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus". Accolarum nomine significantur Hermunduri Lugiique, quorum auxilio ac vi seditione coorta Vannius expulsus est: Sed quo sensu haec verba intellegenda sint, perspicitur comparato loco Taciti Annal. II, 63: nam Hermunduri etiam, cum Catualda e regno deiceretur, intestinis discordiis Marcomannorum se immiscuerunt eisque operam navaverunt non tamquam subiecta, sed externa gens, quae extra fines Bohemiae habitavit; ideo Tacitus dixit „pulsus — Hermundurorum opibus et Vibilio duce." Eodem sensu Tacitus hoc loco Hermunduros accolas vocasse videtur. Itaque post

Maroboduum et Catualdam expulsos omnium Sueborum, qui Bohemiam incoluerunt, imperium et principatum ad Vannium transiisse probabile fit.[22]) Haud scio an Plinii verbis „Suebi regnumque Vannianum" aliquid tribuendum sit eaque intellegenda sint ad exemplum eorum, quae Tacitus Tiberium facit loquentem „Suebos regemque Maroboduum". Fortasse Vannius etiam finitimas gentes sibi subicere temptavit: certe Hermunduris, Lugiis aliisque gentibus Vannium tanto odio fuisse ita explicari potest. Haec omnia non neglegenda sunt, ut de sedibus Hermundurorum recte iudicetur.

Auctorum testimoniis de Hermunduris pertractatis viam patefecimus, ut eam quaestionem, cui maxime operam damus, ad finem perducamus. Argumenta non sufficere, ut Hermunduros primo p. Chr. n. saeculo in Bohemia consedisse certo statuamus, mihi quidem exploratum est; id quod minime impedit, quominus partem populi, cum Marcomanni Bohemiam occupavissent, inde eiectam esse sumamus. Qua de causa Domitium Hermunduris ibi novas sedes assignasse valde improbabile est. Sed alterum accipiendum est eosque in loca Moeno amni proxima, quae a Marcomannis relicta et cultoribus vacua facta erant, translatos esse credendum est. De his sine dubio Dio Cassius cogitavit, cum scripsit „ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος." Quo si re vera iter fecit Domitius, non habemus, quod eum Bohemiam peragravisse putemus, quae sententia Abrahamo placuit. Hoc autem Domitii factum effecit, ut fines Hermundurorum magis meridiem versus prolati sint, quo primo saeculo eos tendere videmus.[23])

---

[22]) Vannii regnum non duravit post primum saeculum. Itaque sine causa Riesius (Mus. Rhen. vol. XLIV p. 343 e. s., 1889) Sueborum nomen, ubi apud posterioris aetatis auctores occurrit, ad Suebos Vannianos revocavit

[23]) Tac. Ann. XIII, 57 Germ. c. 42.

Caput VI.

Quae de expeditionibus a Tiberio annis 4—6 p. Chr. n. in Germania factis memoriae prodita sunt, tractantur.

Anno p. Chr. n. 4 Tiberius, postquam ex exilio rediit et a. d. V. Calendas Julias ab Augusto adoptatus est, iterum in Germaniam missus est, ut Romanorum potentiam imperiumque, quod antea satis debilitatum erat, restitueret Germanosque ad obsequium redigeret. Quam rationem Tiberius hac in re tum secutus sit, demonstrare in animo habemus ea pertractantes et recensentes, quae a Velleio et Dione Cassio tradita accepimus.

Primum ea, quae Velleius[1]) retulit, explicemus. Canninefatibus, Chattuariis, Bructeris subactis, quantum libertatis in eis regionibus reliquum fuit, Tiberius sustulit: nam illae gentes usque ad id tempus suis legibus usi sunt nec Romanis paruerunt. Quod de Bructeris quoque statuendum est, qui, etsi a Druso cladem in Amisia amne acceperant, tamen non subiecti fuisse videntur. Itaque Velleius non sine causa scripsit: „subacti Canninefates, Chattuarii, Bructeri." Tum Tiberius res Cheruscorum, qui defecerant, foedere facto ac maxime eorum opera usus, qui Romanis faverunt, composuit, ipsos ad officium reduxit et partem eorum in exercitu militare coegit:[2]) nam ita verba „recepti Cherusci" intellegenda sunt. In Cheruscorum finibus prope Visurgim bellum huius anni confecit. Neque enim scio an Velleius scribens „penetrata ulteriora" inflatius quam verius dixerit;[3]) certe si quid veri inest, Tiberium exiguum itineris spatium ab illo flumine discessisse manifestum est.

---

[1]) II, 105 e. s.

[2]) Tac. Ann. II, 9; 10. Vell. II, 118, 2.

[3]) cf. II, 121, 2: „arma infert (sc. Tiberius), penetrat interius, aperit limites".

Anno proximo inde profectus Tiberius, postquam exercitus in Germania ipsa, Alisone, ut creditur, hibernavit, bellum continuavit. Velleius igitur rem in maius extulit his verbis usus: „perlustrata armis tota Germania est“. Ut anno priore cum Cheruscis, ita tum cum Chaucis, quos iam Drusus adierat, societatem iniit; nam iterum auctor verbum „recipere“ usurpavit, quod eodem sensu accipiendum est, quo supra. Fortasse idem cadit etiam in Langobardos, quamquam eos severius coercuisse videtur, dummodo ne „fracti Langobardi“ Velleius scripserit, ut elocutionem variaret. Ita usque ad Albim flumen imperator progressus est neque autem primus Romanorum dux, ut Velleius nimium laudis ei tribuens praedicat: nam Albim iam antea Drusus et Domitius viderunt. Ubi postquam gentes trans flumen proximae officia ei praestiterunt, redire coepit, cum Augustus longius penetrare vetuisset. [4]) Quod gravissimum est, Tiberium tum magis artibus pacis quam belli usum esse videmus: militaria enim facta desiderantur.

Similiter de expeditione maritima iudicandum esse videtur. Quamquam classem a plurimis gentibus victoriam reportasse Velleius non sine verborum tumore dixit, tamen bellatum esse non satis fido, quia de singulis silet. Certe accolae maris non secus atque ii mediterranei populi, quorum fines Caesar ipse peragravit, nullo certamine ac timore perculsi in deditionem venerunt, cum classis Romana appareret. Cui iudicio etiam favere videntur ea, quae apud Strabonem [5]) et in Monumento Ancyrano [6]) de classica expeditione legimus. Quam expeditionem Tacitum in Germania c. 34, qui locus a viris doctis valde vexatus est, non commemoravisse inde explicatur, quod Tiberius ipse ei non interfuit: nam in verbis „nec defuit audentia Druso, Germanico“

---

[4]) Strabo VII, p. 291.

[5]) VII p. 293.

[6]) V, 14. e. s.

omne sententiae pondus positum est. Ita cum interpretamur, ea, quae dixit Tacitus, omni offensione carent.[7])

Redeuntem classem et exercitum in pericula incidisse verisimile est. Classi quidem pessima accidisse vel potius eam interiisse e Velleii silentio colligitur. Neque exercitum sine periculo et detrimento se recepisse, etsi obscure et perplexe Velleius locutus est, tamen evidentissime perspicitur: Germani enim, foederibus, quae modo fecerant, ruptis Romanos regressos proeliis et impetu lacessiverunt; et dubito an Tiberius potius ipse cladem acceperit quam hostibus intulerit. Fortasse tale in discrimen adductus est, quale Drusus anno 11 a. Chr. n. subiit et fortiter superavit. Anno insequenti bellum, quod contra Maroboduum regem suscepit, Pannoniorum rebellione orta eum subito deposuisse et foedere icto a Marcomannis impetrasse, ut otiosi essent, inter omnes constat. Haec de Velleio.

Dio Cassius,[8]) ad quem nunc transeamus, Tiberii res gestas paucis quidem verbis et leviter tetigit, nec tamen sine causa ac ratione: Nam bella, quae ille gessit, minoris momenti ei fuisse videbantur, quia pugnas et certamina omnino nulla eum commisisse recte sensit („*οὐ μέντοι καὶ ἀξιομνημόνευτόν τι τότε γε ἐπράχθη.*“[9]) Quin etiam Augustum, Tiberium, Saturninum non ita dignos fuisse illis ornamentis et honoribus censuit, quae eis postea decreta sunt („*καίτοι και αὐτοκράτορος . . . ἐπ' αὐτοῖς κληθέντος*“). Quae sententia non improbanda est; ne Velleius quidem de bellicis factis retulit, ut demonstravimus. Itaque, quae perfecit, Tiberium ratione rei gerendae profecisse iudicavit. De hoc quoque iudicio non ambigitur: profecto enim, ut excipiam eos populos, quos primum subegit, nil amplius quam foederibus factis Germanos

---

[7]) Aliter iudicavit Muellenhoffius „Deutsche Altertumskunde“ IV p. 430 e. s.

[8]) Dio LV, 28, 5.

[9]) cf. l. LV, 9, 1.

in fidem populi Romani redire coegit. Eos defecisse et foedera rupisse, cum exercitus anno 5 p. Chr. n. ad Rhenum recederet, quod Velleius dubie significavit,[10]) Dio clarissime dixit „*αἴτια δὲ τοῦ καίπερ παρασπονδήσασι σφίσι.*“). Neque in ea re offendat quis, quod expeditiones a Tiberio in septentrionali parte Germaniae factas comprehendit quasi una fuissent et sub uno aspectu posuit: nam re vera artissime inter se cohaerent. Expeditionem maritimam plane praetermisit. Quamquam historiam valde obscuravit eo, quod res summatim et generatim tractavit ac singula neglexit. Itaque Dionis narratio non explanatur nisi collatis eis, quae Velleius tradidit, sed etiam nonnulla, quae ille dixit, Dione illustrantur.

Equidem Dionem laudari volo, quod de Tiberii rebus gestis rectissime nec temere iudicavit; quam ob causam eum Velleio longe antepono. Neque igitur mihi probatur sententia eorum, qui Dionem exili ex memoria hausisse existimant: nam quae reprehendunt, eo explicantur, quod res traditas brevissime et presse retractavit.

---

10) cf. Velleium II, 107: „fraude eorum temptato exercitu.“

Caput VII.

Quid de Flori historia cladis Varianae iudicandum sit.

Quae Florus de clade Variana refert, satis longe discrepant ab eis, quae ex Dione de ea re exploratum habemus. Primum qua dictione Florus usus est, eam poeticae aut declamatoriae formae non dissimilem esse perspicuum est. Deinde etiam res ipsae aliter narratae esse videntur. Nam secundum Dionem clades in dies magis magisque increvit usque ad summam perniciem; idem etiam Velleius[1]) et Tacitus testantur. Apud Florum autem omnia magis sub uno aspectu posita et coartata sunt. Quamquam vestigia non desiderantur, ex quibus pugnam diu durasse colligatur;[2]) tamen id maxime interest inter Florum et Dionem, quod ille summam stragem non fine, sed initio pugnae neque in itinere, sed in castris factam esse tradidit. Quibus de causis Florus non illa laude dignus est, quam ei cum alii viri docti tribuerunt tum Rankius,[3]) qui fortasse minus ratione aut errore quam poetica Flori narratione delectatus, ut ita iudicaret, adductus est. Sed quaestio oritur, unde Florus memoriam de ea re sumpserit. Constat eum auctorem, quem secutus est, non post annum 14 p. Chr. n. scripsisse: nam illas aquilas, quae Variana clade amissae erant, a Germanico repertas esse[4]) ille nondum compertum habuit, cum Florus eas in manibus barbarorum esse commemoret. Quodsi perlustraverit quis, qui viri illa aetate Romae historiae scribendae studuerint, maxime de Aufidio Basso cogitabit, qui

---

[1]) cf. Vell. II, 119: „Ordinem atrocissimae calamitatis“ praeter alia.

[2]) cf. Flor. II, 30: „Nihil illa caede per paludes perque silvas cruentius e. s.

[3]) hist. univers. III. Anal. p. 273 e. s.

[4]) Tac. Ann. I, 60. II, 25.

Livii annales continuavit. Sed obstant multa et gravissima: Nam in annalibus res gestas sui ipsius temporis usque ad annum 31 (vel 54) composuit;[5]) neque etiam libri, quos de bellis Germanicis conscripsit, in censum venire possunt, siquidem peculiare opus fuerunt, quia in eis historiam usque ad annum 16 p. Chr. n. tractavisse censetur.[6]) Mihi quidem Florus non historicum, sed poetam secutus esse videtur idcirco, quia narratio eius poeticis coloribus non caret. Historici eius generis historiam ex carminibus haurire non dubitarunt. Florus ipse memoriam de pugna Pharsalica Lucano debet, ut vulgo existimatur.[7]) Poetae autem primi imperatorii aevi etiam de bellis Germanicis carmina composuerunt vel eorum mentionem fecerunt. Exempli gratia Pedo Albinovanus[8]) bella Germanici imperatoris carmine tractavit, quo Tacitus[9]) fortasse usus est. Crinagoras,[10]) ille poeta, qui apud Augustum multum gratia valuit, et Pseudo-Manilius,[11]) qui vocatur, in carminibus suis cladem Varianam tetigerunt. Etiam consolatio ad Liviam, quo carmine Drusi facta laudantur, his adnumerari potest. Simile carmen Floro non alienum fuisse existimaverim, sed qui auctor fuerit, id divinare non possumus.

---

[5]) cf. supra p. 21 adn. 25.

[6]) Nipperdey praef. ad. Tac. Ann. p. XXIII[6] Quintil. X, 1, 108.

[7]) O. Jahnius, praef. ad. edit. Flori p. 47; Westerburgius Mus. Rhen. vol. XXXVII, p. 35 e. s.

[8]) cf. Peteri „Die geschichtliche Litteratur über die römische Kaiserzeit bis auf Theodosius I. und ihre Quellen" vol. II p. 320. Muellenhoffii „Deutsche Altertumskunde" IV p. 47.

[9]) Ann. II, 9 e. s.

[10]) Anthol. Pal. VII, 741; IX, 291.

[11]) Astronomicon I, 893 e. s.

Conspectus temporum.

a. Chr. n.			
38 a. Chr. n.		Agrippa Rhenum transgressus expeditionem in Germaniam fecit.	Dio XLVIII, 49, 2
19		Ubii Rhenum transgressi in citeriore ripa ab Agrippa novas sedes acceperunt.	Tac. Germ. c. 28. Annal. XII, 27. Strabo IV p. 194. Dio LIV, 11, 1.
„		Agrippa castra Mogontiaci posuit (?).	
„		Agrippa vias in Gallia fecit.	Strabo IV, p. 208.
18 vel 17, certe ante ludos saeculares a. 17		M. Lollius in Thracia cum Bessis bellum gessit.	Dio LIV, 20, 3.
17 vel 16		L. C. Sauromatas (?), qui Lollio in imperio successit, bellum cum Bessis confecit.	„ „
17	autumno	Agrippa in Asiam missus est.	Dio LIV, 19. Joseph. Antiqu. Iud. XII, 2, 1.
17	post ludos saeculares	M. Lollius cladem in Germania accepit.	Dio LIV, 19; 20. Jul. Obsequens Prodig. c. 71. Vell. II, 97. Suet. Aug. 23. Eph. epigr. VIII p. 241.
16	a. d. XIII Cal. Martias.	Augustus, antequam iter in Galliam iniit, Romae templum Quirini restitutum consecravit.	Dio LIV, 19, 4. C. J. L. I² p. 310.
„	mense Martio	Augustus et Tiberius in Galliam profecti sunt.	Dio l. l.
a vere a. 16 usque ad ver a. 15		Tiberius Galliam administravit.	Suet. Tib. 9.
12	Calendis Sextilibus	Drusus aram Lugdunensem dedicavit.	Dio LIV, 32. Liv. ep. CXXXIX Suet. Claud. 2.
12	ante Calendas Sextiles	Drusus rebellionem Galliarum oppressit; res in Gallia composuit.	Dio l. l. Liv. ep. CXXXIX. Dessau, Inscr. Lat. sel. 212.

12	post Cal. Sext.	Drusus prope Rhenum Germanis acie profligatis terram Usipetum et Sigambrorum vastavit; deinde cum classe expeditionem maritimam suscepit.	Dio l. l. Liv. ep. CXXXIX. Suet. Claud. 1. Flor. II, 30, 26. Strabo VII, p. 291.
11		Drusus cum Usipetibus, Tencteris, Chattis, Cheruscis, Chaucis bellum gessit; usque ad Visurgim processit; in reditu Germanos societate coniunctos devicit. Alisone et in finibus Chattorum castella munivit.	Dio LIV, 33; 36, 3. Flor. II, 30. Liv. ep. CXL. Oros. VI, 21. Obsequens c. 72. Plin. Nat. Hist. XI, 55. Suet. Claud.
10		Cum Chattis aliisque Germanorum gentibus decertavit. Ripas Rheni munitionibus firmavit.	Dio LIV, 36, 3. Flor. II, 30. Liv. ep. CXLI.
9		Drusus usque ad Albim pervasit; in reditu mortem obiit.	Dio LV, 1. Flor. II, 30, 26. Suet. Aug. 21. Eutrop. VII, 9. Cassiod. Chron. ad a. 746. Val. Max. V. 5, 3. Plin. N. H. VII, 84. Strabo VII p. 201. Liv. ep. CXLII.
8 et 7		Tiberius res in Germania gessit.	Dio LV, 6; 8. Vell. II. 97, 4.
9—7		L. Domitius Ahenobarbus Illyrico praefuisse videtur.	Dio LV, 10 a.
Ante a. 8		Marcomanni Bohemiam occupaverunt.	Flor. II, 30, 23. Vell. II, 108.
8 vel 7		Domitius Hermunduros in novas sedes transtulit; Albim transcendit.	Dio l. l. Tac. Ann. IV, 44. Suet. Ner. 4.
6—1 a. Chr. n.		Domitius in Germania imperium tenuit.	Dio l. l.
1 a. Chr. n.		Domitius expeditionem in Cheruscos fecit.	„ „
p. Chr. n. 4. 5. 6.	post V. Cal. Jul. a. 4. p. Chr. n.	Tiberius bellum in Germania gessit.	Vell. II, 105 e. s. Dio LV, 28. 5. Mon. Ancyr. V. 14.
post a. 5 p. Chr. n.		Hermunduri et Langobardi trans Albim se receperunt.	Strabo VII p. 291.

Vita.

Natus sum Carolus Ferdinandus Caesar Winkelsesser pridie Cal. Febr. a. 1879 Detmoldiae, in urbe principatus Lippensis, patre Bernhardo, matre Jenny e gente Caesarum. Fidei evangelicae addictus sum. Annis 1888—1897 gymnasium, quod in patria est, frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus mense Aprili a. 1897 Bonnam me contuli, ubi per quattuor semestria maxime disciplinis historicis et philologicis operam dedi. Tum per duo semestria in universitate Berolinensi studia continuavi. Denique Bonnam redii atque iterum per duo semestria ibi versatus sum. Scholas audivi virorum doctissimorum Bonnae: Nissen, Ritter, v. Bezold, Wiedemann, Strack, Bücheler, Usener, Elter, Loeschke, Solmsen, Körte, Radermacher, Wilmanns, Litzmann, Erdmann, Neuhaeuser, Rein, Philippson, Gothein, Jacobi, Foerster; Berolini: Koser, Lenz, Scheffer-Boichorst, Hirschfeld, v. Wilamowitz-Moellendorf, Sieglin, Dessau, Stumpf, Schumann. Exercitationibus interfui seminarii historici, quas Nissen, Ritter, Scheffer-Boichorst instituerunt. Buecheleri, Useneri, Elteri benignitate et gratia in seminarium philologicum Bonnense receptus sum, cuius per duo semestria sodalis fui. Praeterea exercitationibus historicis, philologicis, geographicis studui, quas ediderunt Dessau, Strack, Radermacher, Philippson. Per triennium societatis philologorum Bonnensium sodalis fui.

Sententiae ad disputandum propositae.

1. Housteni Stuarti Chamberlaini opinioni, qui exordium et fundamenta recentiorum temporum non, ut vulgo fit, saeculo XV, sed s. ferme XIII quaerenda esse nuper censuit („Grundlagen und Wesen des XIX. Jahrhunderts"), plurima et gravissima favent.

2. Caesar pleraque eorum, quae de Britannia retulit (Bell. Gall. V, 12—15), ex Posidonio hausisse videtur.

3. Quam sententiam de origine alterius tabulae legis Ursonensis (C. J. L. II suppl. p. 860) Fabricius protulit (in Hermae vol. XXXV), ea mihi non probatur.

4. Num anno 1194 p. Chr. n. Siculi contra imperatorem Henricum VI. coniurationem fecerint, ut Toechius („Jahrbücher Heinrichs VI") statuit, admodum dubium est.

5. In Lucilii fragmento XVII, 1 (Mueller) temere ordo versuum invertitur.

6. In Martialis carmine VI, 85, v. 8 verba tradita retinenda sunt.

7. Apud Dionem Chrysostomum or. XI, 116 (I p. 145, 6 Arnim) verba codicum „βιαζομένῳ αὐτῶν τὸ φρούριον ἐξελεῖν" non mutanda sunt.